

*Hebraeos* dimanasse, probare conantur, in medium produce-  
mus & examinabimus. Objicitur autem

(I.) *Herodoti autoritas*, qui in *Euterpe* testatur l. 2. c. 104. Ὅτι  
μῆνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθίοπες περιτέμνον-  
ται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοινίκες δὲ καὶ Σύριοι, οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ καὶ αὐ-  
τοὶ ὁμολογίσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθήκεναι, &c. *Soli omnium ho-*  
*minum Colchi & Aegyptii & Aethiopes à principio pudenda cir-*  
*cumcidunt: Phœnices vero & Syrii in Palestina confitentur ipsi, se*  
*hoc ab Aegyptiis didicisse. De Aegyptiis aut & Aethiopibus dicere*  
*non possum, utri ab utris didicerint.* Per Syros aut in Palestina  
intelligit Judæos, quod ostendit *Marshamus Sect. X. p. 235.* Resp.  
(α.) Autoritati Herodoti majorem & infallibilem opponimus  
autoritatem Viri Θεοπνεύστου, *Mosis*, qui & rerum veritate & anti-  
quitate alios Scriptores, ipsum etiam *Herodotum*, Historico-  
rum Græcorum vetustissimum, longe excedit. Hic vero, Deum  
Abrahamo primum mandasse circumcisionem, commemo-  
rat *Gen. XVII. 10.* uti jam supra pluribus hoc dedimus probatum  
§. 3. Cap. 2. (β.) Notum est, *Herodoti* libros multis vanis & inani-  
bus fabulis esse refertos. Hinc *Cicero Patrem* quidem *historiæ*  
eum vocat l. 1. de leg. sed notam hanc addit, *innumerabiles* apud  
eundem esse *fabulas*. Quemadmodum vero in aliis, ita potissi-  
mum in sacris *Aegyptiorum* exponendis multa scripsit, quæ fi-  
dem omnino excedunt. Comprobat id suo testimonio *Diodo-*  
*rus* l. 1. p. 63. Ὅσα μὲν ἐν Ἡρόδοτῳ, καὶ τινὲς τῶν τὰς Αἰγυπτίων  
πράξεις συγγραμμένων ἐχεδιάκασι καὶ συνεγράψαντο, ἐκστῶς προ-  
κρίναντες τῆς ἀληθείας τὸ παραδοξολογεῖν καὶ μύθους πράττειν ψυχα-  
γωγίας ἕνεκα παρήσομεν. Nos autem, quæ *Herodotus*, & nonnulli  
rerum *Aegyptiarum* Scriptores portenta narrationum pro ve-  
ritate amplexi, & voluptatis gratia fabulas commenti, deblate-  
rarunt, missa faciemus. Et quid mirum, multa eum retulisse  
falla, cum talia ab *Aegyptiis*, qui gloriæ inhiantes, sacra sua alias-  
que res gestas nimium extulerunt, hauserit. Demonstrat hoc  
*Jac. Capellus Hist. Sac. & Exot. anno 3421. Aegyptii mendaces &*  
*vani*